

AD VIRUM DOCTISSIMUM

ALBERTUM DE JONGH,

DE LOCIS QUIBUSDAM AESCHYLI CHOEPHORORUM EPISTOLA CRITICA.

SCRIPSIT

EUGENIUS MEHLER.



Quod in artium historia de compluribus ingenio excellentibus et ab aequalibus posterisque merito celebratis traditum accepimus pictoribus, eos si quam grandis operis *ιδέα* animo conceperint, excogitatam speciem imitando, singulas partes disponendo, formas coloresque adumbrando et indicando sua muneris parte sibi videri functos esse, dum elegantis colorum speciei et legitimae vel in minutissimis proportionis curam, omnia omnino, ad quae adsidua potius fidelique opera quam inventionem divinoque spiritu opus est, discipulis commiserant elaboranda: idem in philologiae historia licet observare, quotiescumque existunt, qui quasi divinitus disciplinarum philologicarum partem aliquam inexpectata luce colustrent, qui nullo negotio promoveant, in quibus lapidibus movendis sexcenti frustra desudarint, qui viam indicent, qua tuto et cito ad finem possit perveniri, de quo assequendo iam erat desperatum. Ex quo WOLFIIUS, ut hoc utar exemplo, Prolegomenis illis editis, quo opere post BENTLEII dissertationes Phalarideas magis omnibus numeris absolutum, doctrina, sagacitate, elegantia magis commendabile exstitit nullum, ostendit, qua semita ad difficilem illam de Homeri persona et car-

minum Homericorum aetate et authentia dirimendam quaestionem esset pergendum, permulti inventi sunt, qui suppleverint, quae ille aut adumbraverat aut omiserat, correxerint, quae in singulis deliquerat aut praeterviderat, vestigia ad finem usque sint persecuti, quae quo ducerent ille indicaverat. Optime profecto hi omnes de philologia sunt meriti, nec tamen WOLFIANAE detrahenda est, quae illis tribuitur laus; manet enim illi inventionis gloria. Ita, ex quo HERMANNUS DINDORFIUSQUE demonstrarunt, quibus fundamentis crisis Aeschylea sit superstruenda, ἔμολε δ', ut poetae verbis utar, ἐς δόμον τὸν Δισχύλου διπλοῦς λέων — neque eo crisin Aeschyleam perducere poterant, nisi qui insilam ingenii vim nativamque sagacitatem longo multorum annorum labore adiaverant et exercendo auxerant —, quicumque in Aeschlylo emendando operam collocaverant, retractare et ad eam normam exigere coeperunt, quae aut olim aut recenter sibi erant excogitata. Ubique apparuere, qui opus ab HERMANNO DINDORFIOQUE exstructum ornare, amplificare, quin emendare niterentur, quo propius ad eam speciem accederet, quae illorum animo esset obversata. Ita enim magnorum virorum famae optime consulimus, ut non solum admirabundi eorum opera intueamur, sed abstergamus, si qua hic illic macula residua nitorem infuscet. Laetabundus in hisce viro, ut fuit HERMANNUS, dignis inferiis Batavos, alieni laboris, quidquid Academia Berolinensis decernat, candidos incorruptosque iudices, vidi χοηφόρους. Vix KARSTENII *Agamemno*, opus doctum sane et laboriosum, in lucem erat editus, quum Temet *Choephororum* editionem parare, ab affini Tuo, quem merito uterque colimus, mihi nuntiaretur. Prodit liber, cui et ille et ego exspectabundi eramus praestolati. Cuius inspiciendi, qua est erga me comitate, mature facit potestatem; iudicium meum, cui nimium ille solet tribuere, de opere Tuo audire avet. Lego librum iterumque lego; oritur opportunitas eorum retractandorum, quae olim ad hanc tragoediam annotaveram, novae inter legendum subnascuntur observationes. Itaque illi dum solverem datam fidem, simul aliis, Tibi imprimis, tradere me posse confidebam, quae lectu haud omnino essent indigna.

Si mihi propositum esset, libri Tui scribere censuram: ea

accuratius fuissent explicanda, quae iam verbo sum indicaturus. Quum agnoscam et magnopere probem ardorem illum, quo Tu in poetae intimum quasi animum studes penetrare; quum laudem, quod brevitati studens aliorum inventa refutando libri molem augere sprevisi, atque in annotationes ea potissimum contulisti, quae nova Tibi visus es ad poetam explicandum afferre; quum caute et circumspecte in recipiendis et aliorum et Tui ipsius coniecturis Te videam esse versatum; quum in versione Latina, quam addidisti, accurati studii et religiosae fidei indicia ubique appareant: sunt in Tuo libro, quae ut minus mihi probata singulis his laudibus opponam. Ut enim omnino difficile est indicatu, quid sublime sit, quid poeta dignum vel indignum, vel quid veterum cogitandi sentiendique rationi consentaneum (quum vix credam nobis, quod de se LIVIUS praedicat, res veteres scribentibus antiquum fieri animum): ita apud AËSCHYLUM, de cuius grandiloquentia iam apud veteres constabat, imprimis cauti esse debemus, ne nimium isti grandiloquentiae tribuentes poetam decere credamus, quae in quotidiano sermone ut inepta abiiceremus. In eo ipso, si quid video, interdum es lapsus, ut interpretando aliena poetae intuleris, ubi aut, si aderat, certam emendationem recipere praestabat, aut locum ἀνιδίωτος ἔχειν confiteri. Qui laudo breviloquentiam, idem taciturnitatem Tuam vario nomine condemno. Laudas hic illic Codicum lectiones, excitas passim speciosae cuiusdam emendationis auctorem, sed in neutro Tibi constas; tamen non mihi liquet, quam Tu in hoc delectu norma ductus esse potueris. Quod noluit olim abiecta recoquere, quis merito vituperabit? Sed in eo Tua ipsius tantum dandi studio nimium quantum recentiorum scripta conferre neglexisti; in his, quod gravissimum est, neglexisti BAMBERGERUM; tamen is est BAMBERGERUS, quem in hisce studiis haud impune quis spernat; MARTINI, THIERSCHII, KAYSERI aliorum perquam utilia meletemata aut non lecta Tibi sunt aut neglecta; quin quae a Batavis, WESTRIKIIUM dico (*disputatio lit. de Aeschylī Choephoris, deque Electra cum Sophoclis tum Euripidis*, libellus elegantissime scriptus) et FRANCKENIUM (cf. v. g. FRANCKEN, *disp. crit. de antiqq. Aeschylī interpretationum etc. usu et auctoritate*, pag. 91, 94, 109, 159), in rem Tuam

erant disputata, non curasti. Haud ita paucis locis Te, mea quidem opinione, traditi textus nimis fuisse tenacem, quid attinet multis hic exponere, in quam rem accuratius inquirendi infra identidem data erit opportunitas. Metro denique, quo certissimo filo ex tenebris possumus expediri (sunt verba R. BENTLEII e priore ad HEMSTERHUSIUM epistola), praesertim in strophicis et antistrophicis restituendis carminibus, parum tribuisti. Quod et ipsum infra apparebit. Ita enim rem meam instituam, ut iis indicatis, quae in Parodo iisque quae Parodum praecedunt, minus recte a Te videantur esse disputata, ingratum aliena ponderandi laborem missum faciam, meamque de locis aliquot Tibi diiudicandam proponam sententiam. Quod fieri non poterit, nisi simul examinatis illis, quae Tibi de singulis locis fuerant visa.

P. 15. *πήμα* ab HERMANNO dicis esse restitutum; at idem iam dudum ante HERMANNUM receperat BAMBERGERUS. — V. 25. *χοῶς προπομπῶς δξύχειρι σὺν κτύπῳ*. A nonnullis dicis *χοῶς* defendi, accusativum pendere posse credentibus a *προπομπῶς*. De qua sententia, utrum vera sit an falsa, iudicium non tulisti; at recte ita illos credere, et alii me docuerunt et FRANKEN l. c. p. 139. In Cod. Med. non *συγκύπτωι* exstat, ut Tu indicasti, sed *συνκύπτωι*. Omnino in Medicei transscribendis lectionibus haud raro minus accurate es versatus. In eo libro dativo dicis *τὸ ι* numquam subscribi; at v. 87. *τύφῳ δέ* exhibes ut Medicei scripturam; v. 45. *μῶμεν* enotas e Mediceo, at est in eo *μωμέν*. Quibus exemplis, si tanti esset, alia nonnulla adiacere possem. — V. 24. recepisti STANLEII coniecturam *ἀμυγμοῖς*, recte credo; sed refellenda erat HERMANNI opinio *παρῆσι Φοίνιος διωγμῶς* legentis, vocabulum rarissimi usus, de quo v. LACHMANN, *d. chor. syst.* p. 59. — V. 31. *πεπληγμένων*. »Intellige *ἡμῶν*, nec genitivus pendet a *πέπλων*, sed est absolutus.» Est haec, falsa credo, KLAUSENI opinio. Invitus ad duram hancce confugerem constructionem, si poeta indignum esset censendum, vestes dicere dolore scissas esse; sed quod STATIUS dixit »*dolorem pariter vestes et pectora rumpere*» quid est quod AESCHYLO idem dicere nefas fuisse credamus? (cf. LENHOFF, *adnot. ad Choeph. parod.* p. 6). Nec tamen ibo infitias aliquantum scrupuli residere, quod vix credam *πέπλοι*

πεπληγμένοι significare posse vestes scissas; qua re uti solent vocabulo ῥήγνυμι cf. Pers. 468: ῥήξας δὲ πέπλους. — V. 52. Omnino probandum mihi videtur, quod HERMANNUS (*Opusc.* VII. p. 52) et BAMBERGERUS coniecerunt, τὸρὸς δὲ Φοῖτος ὀρθόθριξ. Vulgatam φόβος γὰρ ὀρθόθριξ servandi vana sunt conamina. Tu amplexus es LACHMANNI (*de chor. syst.* p. 49) sententiam Φοῖτος legentis. Sed nil Apollini esse cum somniis, iam KLAUSENIUS luculenter satis demonstravit, erroris simul indicans fontem. »Restitui» dicis »scripturam librorum. Quodsi iam-bicus dimeter postulatur, facilis mutatio erit, ut pro γὰρ scribatur γ' ἄρα.» Facilis profecto est, sed nollem Te scripsisse, quod ut facilitate commendatur, ita levitatis suadentem coarguit. Primum metrum laborat. Vix enim admittendus est in secundo pede dimetri iambici anapaestus, et ille duorum vocabulorum particulas in se continens. Deinde vide quid Tibi sumseris. Idemne est γὰρ et γ' ἄρα; nullane Tu putas sententiae discrimine utroque poetae promiscue uti licere? Mihi quidem magnum videtur esse discrimen; at plus semel in ea particula γε Te video lapsus esse. — V. 95. servas Codd. lectionem δόσιν τε τῶν κακῶν ἐπαξίαν, licet unice apta sit STANLEYI emendatio δόσιν γε. — V. 112. Ἐμοί τε καὶ σοί τ' ἄρ' ἐπεύξομαι τὰδε vitiosam TURNEBI VICTORIQUE lectionem γ' ἄρ' AESCHYLO obtrudis, cum vera lectio τᾶρ' ultro se offerret. Eundem errorem errasti v. 221: αὐτὸς καθ' αὐτοῦ γ' ἄρα μηχανορραφῶ, ubi librorum lectio τάρραμηχανορραφῶ manu ad verum ducebat: τᾶρα μηχανορραφῶ. Haec et horum similia, quamvis minutiora possint iudicari, omnino non sunt spernenda; certus enim unicuique vocabulo erat et proprius suus usus, et seriori demum aetati reservatum erat, miscere omnia et confundere. In his semper magnopere miratus sum EUMATHII ingeniam illam candidamque evitandi — ad tersam nimirum et elegantem orationem adspirat — rationem. Qui quotiescumque vocabulum vocali clausum particula οὖν sequitur, si substituit γοῦν, et post καγὼ si vocabulum sequitur a vocali incipiens δ' ineptissime solet infercire. — V. 36. Monendum erat de verbi πιτνῶν accentu, quod ab aliis perispomenon, ab aliis πιτνῶν vel πίτνων editur (v. BAMBERGER. ad h. l.). Idem v. 48. de vocabulo πανοιζύς valet. — V. 42. pro ἄχαριν

metri causa recipienda erat ELMSLEII emendatio ἀχάριτον, ab omnibus recepta, praeter unum WELLAUERUM, cuius hariolationes de vocabulo ἀπότροπον, in quo secundam syllabam docet produci solere, verbo redarguit BAMBERGERUS. In versu antistrophico 54. legendum est, quod post HERMANNUM omnes legunt, ἀδάμαντον pro ἀδάμαντον. — V. 59. omnino Tecum facio, in verbis φοβεῖται δέ τις pronomine Clytaemnestram innui; sed accuratius vellem sententiarum nexum exposuisses; in qua re egregie praeivit LENHOFF l. c. p. 11. — V. 61 sqq.

ροπή δ' ἐπισκοπεῖ δίκας,
τακεῖα τοῖς μὲν ἐν Φάει,
τὰ δ' ἐν μεταίχμιῳ σκότου
μένει, χρονίζοντ' ἄχῃ βρύει.
τοὺς δ' ἀκραντος ἔχει νύξ.

Varias ad hos difficillimos extricandos versus editores vias sunt ingressi. De sententia constet oportet, priusquam de loco recte emendando spem fovere licebit. Sunt qui dicant (cf. BLOMFIELD. Glossar. et BAMBERGER. ad h. l.) haecce poetam voluisse: ultionem divinam omnes scelestos corripere, alios celerius, dum dies adhuc luceat, alios paullo serius circa crepusculum, alios vero vel media nocte. Ineptam hanc sententiam esse BAMBERGERUS demonstravit. Nec tamen magnopere ab ea differt, quam Tu es amplexus: »alios statim, quum flagrat etiam facinus, iustitia invadit: alios serius manet, iam magna vitae parte peracta, quasi cum crepusculum venit, tarditasque supplicii gravitate compensatur: alii mortui demum in inferis poenas infinitas inveniunt.» In quibus primum hoc est falsum, quod poeta imaginem, qua usus est, inchoatam cogitatur deserere. Quum enim Φάος, μεταίχμιον σκότου et νύξ eiusdem rei varios gradus necessario debeant indicare, Tu primum horum vocabulorum de flagrante etiam facinore, secundum et tertium de vitae crepusculo et nocte accepisti. Quo accedunt alia, quae Tuae opinionis vim infringant. Verba χρονίζοντ' ἄχῃ βρύει Te iudice significant »tarditas supplicii gravitate compensatur, aut, ut vertisti,» tardi dolores exundant,» quod longe facilius est scriptu quam intellectu. Χρονίζοντα ἄχῃ βρύει significat »diuturni dolores exundant» quod nosse vellem qui re vera intelligeret. Tardi dolores, h. e. dolo-

res sero venientes, fortasse Graece dicere quis posset *χρο-
νίζόμενα ἄχρη*, nisus AESCH. *S. adv. Th.* v. 54:

Καὶ τῶν δε πίστις οὐκ ἄκνη χρονίζεται.

Praeterea magnopere vereor, ut verba *τοὺς δ' ἄκραντος ἔχει νύξ* quisquam audiens ita accipiat, ut poetam iis significare voluisse sibi persuadeat: »alii mortui demum in inferis poenas infinitas inveniunt.» Diversa eorum est ratio, qui sub variis lucis gradibus certas a poeta personas significari autument, ut *οἱ ἐν Φάει* sint Aegisthus et Clytaemnestra, crepusculi imagine Orestes et Electra, noctis Agamemnon indicetur. Sed a Chori, Electrae fratrisque sortem fideliter lugentis, fausta quaeque illis, exitium vero matri Deos rogantis, indole est quam alienissimum, aut de Agamemnone cogitare merito trucidato, aut Electrae et Oresti, qui nihil omnino deliquerant, tardos dolores minitari, divina iustitia iis reservatos. Nec placet HERMANNI paullulum ab hacce differens, sed ea intricatior et contortior explicandi ratio. Diu multumque loco emendando dedi operam. Ex quo labore, quos unicos percepi fructus hi sunt, ut haec fere cogitasse credam poetam. »Omne maleficium serius ocus poena manet; mature puniuntur, quae in luce sunt commissa; sed ea quoque, quae clam commissa aliquantisper latent, quin etiam quae oblivionis nocte videntur esse involuta, dolores (h. e. criminis poena) manent.» Quae, si vera sunt, quomodo in Graecis corrigendo possint restitui, aliis relinquo me sagacioribus et felicioribus. Versus difficillimos esse ad emendandum, mecum sentire video FRANCKENIUM (de Aeschyli scholiis Laurentianis, *Misc. Phil.* 1854, pag. 86), qui priorem partem reliquit incorrectam, in posteriore *μένει χρονίζοντ' ἐς ἄκρη* correxit, eiecit *βρύει*. De qua coniectura aliquanto certius liceret iudicare, si suam de universo loco opinionem exposuisset (idem requiro apud M. SCHMIDT, qui corruptis poetae verbis substituit *μένει χρονίζοντα λάχρη* apud MUETZELLUM, *Zeitschr. f. d. Gymnasialwesen* VIII. p. 334), imprimis quid de versu *τοὺς δ' ἄκραντος ἔχει νύξ*, quo cum reliquis cohaereret vinculo, censeret. Quod vero *τὰ δ' ἐν μεταίχμιω σκότου* vertit quae in tenebris perpetrantur sive ab hominibus obscuris, in eo videtur falsus esse.

De singulis fere Parodi versibus dissertationem maiorem minoremve liceret conscribere; adeo omnia sunt dubia, obscura,

scabra. Sed ad alia iam propero. At priusquam hancee muneris mei partem relinquam, monitum Te velim de pulcra BAMBERGERI emendatione, qua versum 94 restauravit,

ἢ τοῦτο Φάσκω τούπος ὡς νόμος βροτοῖς
ἔστ', ἀντιδοῦναι τοῖσι πέμπουσιν τάδε
στέφη.

Abiiciendum est infelix felicissimi ceteroquin correctoris, ELMSLEI, inventum ἔσθλ' legentis pro ἔστ' et v. 95 κακῶν in καλῶν mutantis; neque Tecum vulgatam lectionem tuear, quam certo scio Te ipsum spreturum esse prae BAMBERGERI emendatione

ἴσ' ἀντιδοῦναι τοῖσι πέμπουσιν τάδε,

quam veram esse certissimis argumentis in annotatione ad h. l. evicit. In sequenti versu non intelligo quid sit, quod Tu, BLOMFIELDII, DINDORFII, FRANZII, HERMANNI reiecta lectione

στέφη δόσιν γε τῶν κακῶν ἐπαξίαν

δόσιν τε in textum introduxeris.

Deperditi tragoediae initii partem aliquantulam ARISTOPHANI acceptam servatamque nos debere notissimum est; apud quem in *Ranis* v. 1126 sqq. (Bergk.) Euripides acerbissime vellicat Aeschylum atque primos tres *Choephororum* versus, πλεῖν ἢ δώδεκα secundum illum vitiis inquinatos, argutissime et malevolentissime diiudicat et examinat. Eorum vitiorum primum est, quod ambigi potest de sententia, quae subiicienda sit sub primo versu:

Ἐρμῆ χθόνιε, πατρῶ' ἐποπτεύων κράτη.

De quo Euripides (*Ran.* 1141) interrogat:

πότερ' οὖν τὸν Ἐρμῆν, ὡς ὁ πατὴρ ἀπώλετο
αὐτοῦ βιαίως ἐκ γυναικείας χερρὸς
δόλοισι λαθραίοις, ταῦτ' ἐποπτεύειν ἔφη;

respondet vero Aeschylus (nec Dionysus, ut BEKKERO visum est nimiam fidem Codici Ravennati tribuenti, in quo v. 1105 μάλλον ἐξήμαρτες exstat pro vulgato μείζον ἐξήμαρτες):

οὐ δῆτ' ἐκεῖνον, ἀλλὰ τὸν Ἐριούνιον
Ἐρμῆν χθόνιον προσεῖπε, καδῆλου λέγων
ὅτι γὰρ πατρῶον τοῦτο κέκτηται γέρας.

Iam vero Tu ad vocabulum χθόνιε haecce es commentatus. »De hoc vocabulo totoque loco arguta est disputatio apud Aristophanem.» Nec tamen, si quid video, duplicem huic vocabu-

lo sententiam inesse conquestus est Euripides. Sed τὸ πατρῶα, ut recte admonuit *Scholiasta* ad *Ran.* 1126, κεκίνηκε τὴν ἀμφιβολίαν. Quam quum neque ipse *Scholiasta* (ἦτοι γὰρ τοῦ ἐμοῦ πατὴρ Ὀρέστης Φησὶν, ἢ τὰ καθ' ἄδου λέγει πατρῶα κράτη τοῦ Ἑρμοῦ), neque BAMBERGERUS HERMANNUSVE data opera ostenderint, quid in isto vocabulo totoque loco sit ambiguum, quam brevissime ostendere conabor. Secundum Euripidis interpretationem πατρῶα κράτη idem fere significant, atque quod παραφραστικῶς ille dicit ὅτι ὁ πατήρ ἀπώλετο βιαιῶς. Κράτη vocabulum igitur eandem haberet notionem, quam habet apud SOPHOCLEM *Antig.* 585 (*Schneidew.*):

ἢ νῦν ἐγὼ μὲν οὐκ ἀνὴρ, αὕτη δ' ἀνὴρ,
εἰ ταῦτ' ἀνατὶ τῆδε κείσεται κράτη,

ubi *Scholiastae* malo amplecti rationem, εἰ ταῦτα τὰ τολμήματα καὶ ἡ νίκη αὕτη χωρὶς βλάβης καὶ τιμωρίας (scil. κείσεται), quam SCHNEIDEWINUM sequi, κράτη victoriam de meis (*Creontis*) θρήνοις καὶ κράτεσι reportatam esse intelligenda monentem. Sunt autem κράτη πατρῶα, quos Φόνους πατρώους passim apud Tragicos adpellatos invenies, v. c. *Oed. Col.* 990:

Φόνους πατρώους ἐξουειδίζων πικρῶς
vel *Electr.* 779:

ἐγκαλῶν δέ μοι

Φόνους πατρώους,

ibid. v. 955 etc. Iam vero in eo, Euripide iudice, cernitur vitiosa versus compositio, quod *Hermes* subintelligi possit, aut qui servet de (vinducanda nimirum) *Agamemnonis* caede, aut qui obeat munus a patre *Iove* sibi mandatum, τὸ τὰς ἐν τῷ κόσμῳ βασιλείας ἐπιτηρεῖν. Et mihi quidem inter utramque sententiam haud ita difficilis videtur esse optio (cf. NÆGELSBACH, *die nachhomerische Theologie des Griechischen Volksglaubens*, aureum et imprimis eis, qui *Aeschylo* dant operam, utilissimum librum, p. 135 »dass *Hermes* nach *Choeph.* 1. πατρῶν ἐποπτεύει κράτη, d. h. nach der wie uns dünkt noch nicht widerlegten Erklärung bei *Arist. Ran.* 1146 der ihm vom Vater anvertrauten Macht waltet). Quam vero Tu exogitavisti tertiam, ἐποπτεύων dicens non esse pro vocativo habendum, sed coniungendum cum sequentibus: »sis servator mihi, curans imperium quod patris mei fuit, mihi que debetur" ut Graeco

auditori in mentem non venisse Aristophanes est auctor, ita ne nostratibus quidem Graece doctis facile Te persuasurum esse¹ arbitror, praesertim ubi meminerint versuum Sophocleorum, Aeschyli tamquam ad instar compositorum, *Electr.* v. 110 sqq.

ὦ δῶμ' Ἀΐδου καὶ Περσεφόνης,
ὦ χθόνι' Ἑρμῆ καὶ Πότνι' Ἄρᾶ
σεμναί τε θεῶν παῖδες Ἑρινύες,
αἱ τοὺς ἀδικῶς θνήσκοντας ὄρατ'
ἔλθετ', ἀρήξατε,
τίσασθε πατρὸς Φόνον ἡμετέρου,

quos ita scribendos esse docuit Porsonus, *Miscellan. Tr. and Criticisms* pag. 221.

Non omnia perlustrare mihi est in propositis atque diiudicare convicia, quibus Aeschylum eo loco perstringit Euripides; unum expromo, ut de duobus Aristophanis locis agam, quarum prior iam ab aliis correctus est, sed emendationem in textum receptam nullibi, ne apud BERGKIUM quidem, vidi. Tautologiae Aeschylum arguens, qui *Choeph.* v. 5. κλύειν et ἀκοῦσαι, eiusdem notionis verba, cumulaverit, ita adversarium ludit Euripides *Ran.* 1175:

τοῦθ' ἕτερον αὖθις λέγει
κλύειν, ἀκοῦσαι, ταῦτόν ὄν σαφέστατα.

Legendum est αὖ δὲ τις λέγει, ut legimus v. 1154 et ut documento est responsum:

τεθνηκόσιν γὰρ ἔλεγεν, ὦ μοχθηρὲ σύ,
οἷς οὐδὲ τρίς λέγοντες ἐξικνούμεθα.

Quod, inter Aeschylum et Dionysum olim divisum, ita ut huic duo priores tertius vero σύ δὲ πῶς ἐποίηεις τοὺς προλόγους illi daretur, quum BERGKIUS uni Aeschylo vindicaret, rem acu videtur tetigisse, quum illa οὐδὲ τρίς λέγοντες ἐξικνούμεθα Dionyso tributa vix dici potest, quam sint inepta. Respondet Euripides Aeschylo de prologis interroganti:

ἐγὼ Φράσω
Κὰν που δὲ εἶπω ταῦτόν, ἢ στοιβὴν ἴδης

¹) Idem fere pridem WESTRICKIO in mentem venerat, l. c. pag. 199, ubi in adnotatione haecce profert: sensus loci est. »Mercuri, sis mihi salutis auctor, respiciens i. e. memor imperii, quod tenuit olim pater meus Agamemnon.

ἐνοῦσαν ἔξω τοῦ λόγου, κατάπτυσον.

V. 124 sqq. (Dind. Poet. Scen.)

* * Ἑρμῆ χθόνιε, κηρύξας ἐμοὶ,
τοὺς γῆς ἔνερθε δαίμονας κλύειν ἐμὰς
εὐχὰς, πατρῶν δωμάτων ἐπισκόπους,
καὶ γαῖαν αὐτήν, ἣ τὰ πάντα τίκτεται
θρέψασά τ' αὔθις τῶνδε κῦμα λαμβάνει.
κἀγὼ χέουσα τάςδε χέρνιβας βροτοῖς,
λέγω, καλοῦσα πατέρ', ἐποίκτειρόν τ' ἐμέ
Φίλον τ' Ὀρέστην πῶς ἀνάξομεν δόμοις.

HERMANNI assensus es coniecturae, versum 165

κηρυξ μέγιστε τῶν ἄνω τε καὶ κάτω

huc transponentis et post versum 123 inserentis. Magnopere probabilem esse hanc coniecturam non repugno, nec tamen arbitror esse necessariam, quum et ab hoc loco sine sententiae detrimento abesse possit ille versus, et quo nunc legitur iustam admittat explicationem. Sacris enim rite peractis quis neget haud inepte Electram eundem compellare Deum, cuius ante libationem auxilium imploraverat. Multo minus me habebis refragantem, quod lacunam, quae versum 124 a fronte reddiderat mutilum, explevisi ἀρηξον recipiendo, secutus in ea re KLAUSENIUM et HERMANNUM (*Opusc.* VII. pag. 50) non DINDORFIUM, quem Tu huius moliminis excitasti auctorem. Amplexus es (nam de singulis erit dispiciendum) v. 126 STANLEII coniecturam, qui Codicum lectionem δ' ὀμμάτων inepte a WELLAUERO defensam, in δώματων mutaverat, δώματα πατρῶα intelligenda esse ratus domos inferorum in quibus nunc Agamemnon habitat. At quum vix credam, eam his verbis inesse posse sententiam, tum ut insit, magnopere dubito, quin ii domus inferorum dici possint ἐπίσκοποι, qui istius domus ipsi sint incolae. Quanto praestantior AHRENSII HERMANNIQUE correctio, quam tacito assensu probavit DINDORFIUS in Teubneriana, πατρῶων αἱμάτων (de plurali αἱμάτων vid. BLOMF. *Gloss.* ad *Choeph.* 60, qui conferre iubet *Eumen.* 203, *Choeph.* 278, *Agamemn.* 1264, MUSGRAV. ad *Eur. Phoen.* 1540). Eas enim invocat Deas, quae »vipereum crinem vittis innexae cruentis,» μάρτυρες ὄρθαι τοῖσι θανοῦσι | παραγίγνονται πράκτορες αἵματος (*Eumen.* 316), Terram deinde, quae est »omniparens eadem

rerum commune sepulcrum” (LUCRET. v. 260): has, inquam, Deas compellare (ita enim recte vertisti vocabulum κηρύξας, nec intelligo BAMBERGERUM, qui hanc illi verbo negat inesse sententiam) iubet Hermem, κλύειν ἐμὰς εὐχάς. Sed quaenam sunt illae εὐχαί? Illae videlicet, quas legimus v. 137:

ἐλθεῖν δ' Ὀρέστην δεῦρο σὺν τύχῃ τινὶ
κατεύχομαι σοι.

Patrem itaque implorat, atque Deos inferos precum, quibus patrem sollicitat, quasi auctores esse et πράκτορας obtestatur. Quibus consideratis et ponderatis mihi quidem vix est dubium, quin haec AESCHYLI fuerint verba:

Ἄρηξον, Ἑρμῆ χθόνιε, κηρύξας ἐμοὶ
τοὺς γῆς ἔνερθε δαίμονας κλύειν ἐμὰς
εὐχάς, πατρῶων αἰμάτων ἐπισκόπους,
καὶ γαῖαν αὐτὴν, ἣ τὰ πάντα τίκτεται
θρέψασά τ' αὐτίς τῶνδε κῦμα λαμβάνει,
ἀγὼ χέουσα τάςδε χέρμιβας βροτοῖς
λέγω, καλοῦσα πατέρ', ἐποικτεῖρειν τ' ἐμὲ
Φίλον τ' Ὀρέστην, πῶς ἀνάξομεν δόμοις.

(Fer opem, Herme, Deos inferos compellando, et Terram ipsam, ut preces exaudiant, quibus patrem imploro [ἐ λέγω πατέρα καλοῦσα], ut miseretur memet ipsam fratremque).

Viam ad hanc versuum dispositionem praeivit mihi HERMANNUS, cuius de duobus extremis versibus sententia sagacior mihi esse videtur, quam verior. De neutro ἀγὼ, ubi ἄς ἐγὼ expectares, nil attinet prolixius disputare post tot diligentes huius anomaliae, de qua vel in artibus grammaticis exponitur, investigatores. At cf., si tanti est, Eurip. Andr. v. 271:

ὦ δ' ἔς' ἐχίδνης καὶ πυρὸς περαιτέρω,
οὐδεὶς γυναικὸς Φάρμακ' ἐξεύρηκέ πω
καλλῆς.

De βροτοῖς in Φθιτοῖς, ut HERMANNO, vel νεκροῖς, ut ENGERO visum est, mutando subdubito, lectis, quae Tu offers, exemplis Eur. Herc. Fur. 484 et Aesch. Pers. 635, ubi θνητός haud dubie de iam mortuis dictum inveniri asseris. Quamquam de utroque loco haud inepte quis dubitarit. In hoc, Pers. 635, ingeniosa est coniectura viri amicissimi ΚΙΕΛΛΗ, legentis:

εἰ γάρ τι κακῶν ἄκος οἶδε πέλον
μόνος ἂν θνητῶν πέρας εἴποι.

atque lectionem suam ita interpretantis: *si quod malorum novērit remedium* (h. e. si omnino exstat malorum medicina), *ille solus dicere poterit plus quam* (ita enim vertit πέρας; nec tamen exempla sibi suppeditare ipse concedit, quibus probet, quod per se non est absonum, πέρρις ante vocalem poni posse pro πέρῃ) *mortales*. Multo magis manifesta res est in loco EURIPIDIS, *Herc. Fur.* 490:

ὦ Φίλτατ', εἴ τις Φθόγγον εἰσακούσεται
θνητῶν παρ' Αἴδῃ, σοὶ τὰδ', Ἡράκλεις, λέγω.

Quem sic construe: εἴ τις παρ' Αἴδῃ εἰσακούσεται Φθόγγον θνητῶν. At hoc verum est procul dubio, poetas promiscue ac nullo significationis discrimine utroque vocabulo, θνητός et βροτός, uti, quum βροτός sicubi apud prosae orationis scriptores invenias, ut apud LUCIANUM legi *Vitar. Aucl.* 6. θεός, οὐ βροτός τις εἶναι φαίνεται, poëtis insulse sit sublectum. De vocabulo ἀνάξομεν denique, quominus in Tuam Scholiastaeque transeam sententiam, a verbo ἀνάσσω esse ducendum, non solum id me inhibet, quod BLOMFIELDIUS dicit, de vocabuli ἀνάσσειν futuro sibi non constare, sed multo magis, quod Electra, si recte Tu iudicasses, et Oresti et sibimet ipsi (ἀνάξομεν) imperium restitutum iri cuperet. At unum Orestem hanc, Electram vero diversi generis sibi spem fovere, documento sunt tragoediae vs. 480 et 487. In illo Orestes

αἰτουμένῳ μοι δὲ κράτος τῶν σῶν δόμων
patrem rogat, in hoc patri promittit Electra
οἶσῶ πατρῶων ἐκ δόμων γαμηλίους (χοάς).

Cui versui vestigia arbitror inesse, quibus innisis corruptum versum 481 aliquando in integrum restituere continget:

κἀγὼ, πάτερ, τοιάνδε σου χρείαν ἔχω
Φυγεῖν, μέγαν προσθεῖσαν Αἰγίσθῳ μόρον.

vs. 142 sqq.

ἡμῖν μὲν εὐχὰς τάςδε· τοῖς δ' ἐναντίοις
λέγω Φανῆναί σου, πάτερ, τιμάρορον,
καὶ τοὺς κτανόντας ἀντικατθανεῖν δίκην.
ταῦτ' ἐν μέσῳ τίθημι τῆς κακῆς ἀρᾶς,
κείνοις λέγουσα τήνδε τὴν κακὴν ἀράν·

ἡμῖν δὲ πομπὸς ἴσθι τῶν ἐσθλῶν ἄνω,
 σὺν θεοῖσι καὶ γῆ καὶ δίκη νικηφόρῳ.

Sententiae negligentiam et obscuritatem librariis esse tribuendas, editorum longe maiori parti probatum nec tamen exploratum est, quo pacto e tenebris in lucem possit evocari. Ubi vero, quid certum sit nec ulli dubitationi obnoxium, accurate disquisiveris, haud ita difficile esse videtur, poetae manum revocare. Quod Codd. praebent τῆς κακῆς ἀρᾶς a SCHUETZIO et BLOMFIELDIO in τῆς καλῆς ἀρᾶς est mutatum, eamque coniecturam et alii probarunt et HERMANNUS nuper in textum recepit. Electram, qui ita legunt, precibus pro sua fratrisque salute imprecationes contra patris interfectores faciunt interponentem, et se hoc facere, illo versu 146 indicantem. Non defuere tamen, qui ab Electrae, dolore simul et spe perturbatae, persona alienum iudicarent frigidum ieiunumque, ut illis videbatur, dicendi genus, ut quasi digitis monstrasse putetur, qua ratione verba distribuerit et ordinaverit; quorum pars emendando sententiam Electra Aeschylouque digniorem elicere conati, pars in Codicum lectione esse acquiescendum sunt arbitrati. Pulcrum sane in illis et speciosum eiusque generis, quae invitus spernas, BAMBERGERI est inventum, quod etiam MARTINO (*Observatt. critic. in Aesch. Oresteam*, p. 12) in mentem venerat τῆς κακῆς χαρᾶς, quod, apposite accito vs. 137: ἐν τοῖσι σοῖς πρόνοισι χλίουσιν μέγα, ipse ita interpretatur. »Haec vero malo illorum gaudio obstruo, malam hanc imprecationem pronuncians.» DINDORFIUS pro κακῆς voluit ἐμῆς. Tuam vero, qui vulgatae lectionis suscepisti patrocinium, sententiam tum explicabo, quum simul refellere eam licebit. Omne rei momentum mihi quidem versari videtur in iusta legitimaque vocabulorum ταῦτ' ἐν μέσῳ τίθημι τῆς ἀρᾶς explicatione. Quae nihil aliud significare posse contendo, quam haec precibus meis media interpono. Itaque, donec probatum erit τιθέναι τι ἐν μέσῳ τινός esse posse alicui rei aliquid opponere, obstruere, falsa erit BAMBERGERI quantumvis ingeniosa coniectura. Neque ubi tam manifestis certisque vestigiis ad veram eamque simplicissimam constructionem ducimur, ad id me converterim confugium, quod Tu petisti, genitivum τῆς κακῆς ἀρᾶς non a μέσῳ sed a ταῦτα pendere contendendo. Quid enim? Fac probam exem-

plisque probatam esse constructionem, quam cuiusvis cultioris sermonis indolem respuere quovis pignore contendam, quae nam exitura esset sententia? Haecce nimirum, quam indicabo Graeca verba totidem Latinis vocabulis exprimendo: »Hancce propono malam imprecationem (contra illos videlicet), illis dicens malam hanc imprecationem.» At qui ita loquitur, is mihi quidem non eadem (Tua sunt verba) cum gravitate repetere, sed merito plecti videtur Euripidis animadversione (*Arist. Ran.* 1154) δις ταῦτόν ἡμῖν εἶπεν ὁ σοφὸς Αἰσχύλος. Persuasum velim Tibi habeas, quod Grammaticae leges, sanae interpretationis normae atque sensus veri falsique index coniunctim suadent, verba illa idem significare, quod e poetico in pedestrem sermonem translatum Graeci dixissent ταῦτα ταῖς εὐχαῖς παρεντίθημι, vel καὶ ταῦτα μὲν μεταξὺ τῶν εὐχῶν τοῖς ἐχθροῖς κατηράσθω; unde sponte iam consequitur, vocabulum κακῆς corruptum eique substituendum esse aut καλῆς, quod proxime abest, si litterarum ductus sequeris, nec ineptam affert notionem, aut Dindorfianum ἐμῆς, quod, ut palaeographiae praeceptis minus satisfaciat, sententiam reddit omnino aptissimam. Haud minus certe, quam de vs. 145 sententia, mihi quidem constat, vs. 146:

κείνοις λέγουσα τήνδε τὴν κακὴν ἄραν

omnibus machinis quantocius ex Aeschylō esse pellendum², non Aeschylō tantum, sed unoquoque indignum, nisi qui certas cogitandi cogitataque enuntiandi normas data opera spernat, quibus poetae haud secus ac reliqui mortales tenentur. Sunt apud Tragicos, scio, et apud Aeschylum adeo multi loci, quibus subtilius, argutius et (dicam enim quod sentio) frigidius disputant dramatis personae, quam quod nostro sensu cum traegodiae maiestate videatur esse consentaneum; sed ita loqui, ut *Electra* locuta esse censetur (haecce, i. e. malam hanc imprecationem, precibus meis interpono, illis hancce dicens malam imprecationem) aut egregie fallor, aut Graecis haud magis placuisse credibile est, quam nobismet placet. Nec praetervidendum, inepte quin falso illo versu quicumque composuit usum esse pronomine τήνδε. Tam manifestae interpolationis quid iu-

²) V. 145 sibi videri spurium esse totumque locum misere perturbatum et vix sanabilem FRANCKEN indicavit l. l. p. 87.

varet in caussam inquirere, quae complures cogitari possunt. Annotatiunculam qualemcumque diceres ad vocabulum ταῦτα conscriptam, quae Μουσῶν ἀέκητι in versum abierit. Legendum est igitur:

ταῦτ' ἐν μέσῳ τίθημι τῆς καλῆς (vel ἐμῆς) ἀρᾶς·
 ἡμῖν δὲ πομπὸς ἴσθι τῶν ἐσθλῶν ἄνω
 σὺν θεοῖσι κτέ.

Argutari nolo nodosque in scirpo quaerere; tamen confitebor, vel sic tamen illis versibus inesse, quae legentem morentur. Etenim orationem illam accurate perlustrantem non potest non offendere, quod Electra, quum vs. 142. precibus pro se ipsa fratreque effusis finem fecerit verbis ἡμῖν μὲν εὐχὰς τὰςδε, iisque manifesto imprecationem contra hostes, τοῖς δ' ἐναντίοις λέγω Φανῆναι κτέ. opposuerit, hisce post paucos versus suae ipsius salutem patris curae commissam iisdem verbis ἡμῖν δὲ πομπὸς ἴσθι, denuo opponat. Indicasse sufficiat quid sentiam, ulterius progredi in praesenti non audeo.

Versu 144, qui varie a variis emendatus et lectus est, restituendum videtur (ἀντικακτανεῖν δίκη a SCALIGERRO est propositum)

καὶ τοὺς κτανόντας ἀντικακτανεῖν Δίκην.

Cf. Choeph. 639: τὸ δ' ἄγχι πνευμόνων ξίφος | διανταίαν δὲν-
 πευκὲς οὐτᾶ | διαὶ Δίκας· *ibid.* 936: ἔθιγε δ' ἐν μάχῃ χερὸς
 ἐτήτυμῶς | Διδὸς κόρα (Δίκαν δέ | νιν | προσαγορεύομεν | βροτοὶ τυ-
 χόντες καλῶς) | ὀλέθριον πνέουσ' ἐπ' ἐχθροῖς κότον³.

Electrae ἀραὶ in mentem mihi revocant consimilem eamque

³) E multis locis, quibus nomina propria latent, unum occasione oblata adducam et emendabo, apud HERACLITUM *Alleg. Hom.* c. 23: ἀμέλει δὲ καὶ ὁ Εὐριπίδης τὸν ὑπερτεταμένον αἰθέρα φησὶν:

Ὅρας τὸν ὑποῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα
 Καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις;
 Τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἠγοῦ θεόν.

In Heracliti verbis obiectum desiderari iampridem vidi itaque legendum censueram: ἀμέλει δὲ καὶ ὁ Εὐριπίδης Ζῆνα τὸν ὑπερτεταμένον αἰθέρα φησὶν. Sed et arbitraria est illa mutatio, et insunt verbis, quae ut ipsa falsa sunt ita vero inveniundo ansam praebent. Inauditum enim illud δὲ post ἀμέλει, ac procul dubio legendum est ἀμέλει Δία καὶ ὁ Εὐριπίδης τὸν ὑπερτεταμένον αἰθέρα φησὶν.

vix minus vitiose in Codd. traditam Casandrae imprecationem in Agamemnone, quae ita audit in editionibus, *Agamemn.* v. 1522:

ἄπαξ ἔτ' εἰπεῖν ῥῆσιν, οὐ θρῆνον θέλω
 ἔμδν τὸν αὐτῆς. ἠλίφ δ' ἐπεύχομαι
 πρὸς ὕστατον Φῶς, τοῖς ἐμοῖς τιμαύροισ
 ἐχθροῖς Φονεῦσι τοῖς ἐμοῖς τίνειν ὁμοῦ
 δούλης θανούσης εὐμαροῦς χειρώματος.
 ἰὼ βρότεια πράγματ' εὐτυχοῦντα μὲν
 σκιά τις ἂν πρέψειεν· εἰ δὲ δυστυχεῖ
 βολαῖς ὑγρώστων σπόγγος ἄλεσεν γραφὴν.

Habes, quod est in Codicibus, nisi quod in primo versu HERMANNI recepi emendationem οὐ θρῆνον pro ἡ θρῆνον, et in septimo pro Codicum scriptura ἀντρέψειε BOISSONADI amplexus sum inventum πρέψειεν scribentis. De quo versu acutissime verissimeque exposuit WELCKERUS, *Rh. Mus.* X. 5. pag. 418. in annotatione ad Anonymi *observationes Aeschyleas*, qui se βέβηλον ad illa studia accedere licet ipse opusculi initio fateatur, pulcherrimarum elegantissimarumque exercitationum Corollario μεμνημένον se esse demonstravit, quam qui maxime. Sed ad priores redeo versus. De quibus quid ab editoribus in medium sit collatum, redarguendo colligere non iam mihi est in propositis (cf. SCHNEIDEWIN apud JAHN, *neue Jahrbücher* 1855. 5 pag. 289). Quid ipsi in mentem venerit ὡς διὰ βραχυτάτων indicabo, si forte aut meam suspicionem probem, aut aliis ad meliora invenienda prosim. Haec enim conieci:

ἠλίφ δ' ἐπεύχομαι
 πρὸς ὕστατον Φῶς, κοιράνου τιμαύρον
 ἐχθροῖς Φονεῦσι τοῖς τ' ἐμοῖς ἐλθεῖν ὁμοῦ,
 δούλης θανούσης, εὐμαροῦς χειρώματος.

Cf. praeter *Choeph.* modo tractatum locum vs. 111: XOP: ἐλθεῖν τιν' αὐτοῖς δαίμον' ἢ βροτῶν τινα. | HA: πότερον δικασὴν ἢ δικηφόρον λέγεις; | XOP: ἀπλωστὶ φράζουσ' ὅστις ἀνταποκτενεῖ. *Agamemn.* 1280: ἤξει γὰρ ἡμῶν ἄλλος αὖ τιμαύρος. *Soph. Electr.* 811: σὲ πατρὸς ἤξειν ζῶντα τιμωρὸν ποτε | κάμου ταλαίνης κτέ.

Sophoclis *Electram* dum evolvendo perlustro, incido in locum, eodem morbo tactum, quo Choephororum modo tractatos versus laborare putaverat BAMBERGERUS. Ἀκέφαλος eo

quem volo versu vocabulum toleratur. Quod in integrum restituum, eademque herba sanatis locis aliquot in aliis scriptoribus mihi lectis, viam mihi muniam, qua tuto ad Choephoros revertar.

Legitur tragoediae Sophocleae initio, in pulcro Electrae patris sortem suasque miserias lugentis θρήνη, v. 92:

τὰ δὲ παννουχίδων ἤδη στυγεραὶ
 ξυνίσασ' εὐναὶ μογερῶν οἴκων
 ὅσα τὸν δύστηνον ἐμὸν θρηνῶ
 πατέρ', ὄν κτέ

Ubi semel videris, quid sit restituendum, vix risum tenebis, ingeniosis haud dubie sed vanis interpretum inspectis illustrationibus; e quibus SCHNEIDEWINUS, optime ceteroquin de Sophocle meritis, alias mulieres bacchantes dicit atque voluptatibus deditas παννουχίδας celebrare, Electram vero „mit schmerzlicher Ironie” luctus fletusque nocturnos παννουχίδας appellare. Verum vidit DONNERUS, cuius egregia Sophoclis versio Germanica multis locis optimi instar est commentarii. Ita enim Graeca Germanice est interpretatus:

*Das verhasste Gemach in dem Unglückshaus
 Ist mir der Vertraute des nächtlichen Grams
 Um dich, unglücklicher Vater.*

Quem ducem secuti, facili negotio Sophocli sua verba restituemus:

τὰ δὲ παννουχίδων κήδη στυγεραὶ
 ξυνίσασ' εὐναὶ μογερῶν οἴκων.

Eadem chorda olim oberratam esse putaveram apud HERACLITUM, *Alleg. Homer.* c. 59: ἴδια στέφη ταύτης τῆς ἀρτιθαλοῦς ὥρας, ἐπειδὴν ἐκ τῶν χειμερίων παγετῶν ἢ στερίφι καὶ μεμυκυῖα πηγὰς ὡς κυοφορουμένας ἔνδον ἰδῖνας ἐκφύνη. Pro ἢ restituendum esse censueram γῆ, nec tamen me latebat, sententiae partem posteriorem manere subobscuram. Quid sit scribendum, δεύτεραι φροντίδες me docuerunt, prioribus hoc saltem in conamine multo σοφώτεραι. Nam non ἢ corruptum est, sed πηγὰς. Huic si substitueris, quod perlucet per liberiorum stuporem, γῆ τὰς (ΠΗΓΑΣ — ΓΗΤΑΣ) hancce lucratu eris omnibus numeris absolutam sententiam: ἐπειδὴν ἐκ τῶν χειμερίων παγετῶν ἢ στερίφι καὶ μεμυκυῖα γῆ τὰς ὡς

(fort. ὡσπερ) κυοφορουμένας ἔνδον ὠδῖνας ἐκφήνη. Quum ad HERACLITUM delatus sim, librum non deponam de manibus, nisi altero correcto loco, quem in editione mea incorrectum reliqui, cap. 48: ὡσπερ γὰρ ὁ στέφανος κυκλοτερῆς τῆς κεφαλῆς κόσμος ἐστίν, οὕτω τὰ διεζωκότα τὴν οὐρανίαν ἀψίδα, κατὰ σφαιροειδοῦς ἐπηρμένα σχήματος, εἰκότως οὐρανοῦ στέφανος ὠνόμασται. Monstrum ali optime intellexit HEYNIUS, qui vocabulum ἄστρα aut excidisse aut subintelligendum esse monuit. Nec tamen verum vidit; supersunt in articulo τὰ obscuratioris vocabuli vestigia, τείρεα, quod Homero sublectum inter poetica referendum est vocabula, quibus satis inepte aridos suos hortulos irrigavit HERACLITUS. Legimus apud alterum HERACLITUM, insulsi de *Incredibilibus* libelli scriptorem, c. 27. haecce de Plutonis galea: ὅτι ὁ τὴν Ἄϊδος κυνὴν, ὡς καὶ ὁ Περσεύς, περιθέμενος ἀόρατος ἐγίνετο. ἔστι δὲ κυνὴ Ἄϊδος τὸ τέλος, εἰς ὃ ἀπελθὼν ὁ τετελευτηκῶς ἀόρατος γίνεται. Ridiculum propemodum est, Plutonis galeam terminum significare, in quem qui defunctus pervenerit, non amplius conspiciatur. Immo scribatur, quod vocabulum cum τέλος saepenumero confundi docet NAEKIUS de *Callim. Hecale* in *Mus. Rhén.* III. 4. pag. 515, τὸ στέγος. Cf. *Soph. El.* 1165: τοιγὰρ σὺ δέξαι μ' ἐς τὸ σὺν τῷδε στέγος. *Lycophr. Cass.* 1098: ὄν νεοσκαφὲς κρύψει ποτ' ἐν κλήροισι Μιθύμνης στέγος. Contrarium vitium demonstrando, quam quo huncce locum vidimus fuisse pessumdatum, receptui canam ad AESCHYLII Choephoros. Legimus tragoediae v. 235 sqq. haecce.

ὦ Φίλτατον μέλημα δώμασιν πατρὸς
δακρυτὸς ἐλπίς σπέρματος σωτηρίου,
ἀλκὴ πεποιθὼς δῶμ' ἀνακτῆσει πατρός.

Quamdiu apud me constabit, eam esse veram sanamque interpretandi artem, quae in difficili explicando loco unicuique vocabulo propriam suam cum etymo et usu congruentem tribuat vim, omniaque legitimae constructionis vinculo quasi nexa idoneam efficere sententiam ostendat, neque licitum esse interpreti, susque deque habitis omnibus praestigiatoris instar vocabulo permutando et pro arbitrio collocando circumvenire potius et ludere lectores, quam iis de expositorum veritate persuadere: tamdiu in iis non potero acquiescere, quae de his

versibus AESCHYLI editores praeceperunt. HERMANNUS (*Observ. Crit. in quosdam locos Aeschyli et Euripidis* pag. 75, nec mutavit sententiam in editione) verba *δακρυτὸν ἐλπίς σπέρματος σωτηρίου* vertit Agamemnonis filium sospitatore, cuius videndi spes iam deplorata fuerit. Sed vel si persuadere mihimet possem, Electram fratrem *σπέρμα σωτήριον* potuisse nominare, quod duplici nomine ineptum esse infra ostendam, eam sententiam Graecis verbis inesse sibi sumpsit HERMANNUS, quae re vera non inest. Etenim Graeca, in Latinum sermonem accurate conversa, haecce significant: Deplorata spes seminis (filii) sospitatoris. E quibus quo pacto elici possint, quae HERMANNUS elicuit, non video. Nec cum BAMBERGERO faciam *ἐλπίς σπέρματος σωτηρίου* idem esse asserente atque *σπέρμα σωτήριον ἐλπισθέν*, nec si in hac re cum illo consentirem, versum bene se habere concederem. Dicit enim nequit, quantopere illud *σπέρμα* eo loco ineptum sit et absonum. Quid sit *Κρέοντος*, Ἀχιλλέως, quid *τοῦ μὲν, βρότειον* (*Aesch. Fragm. 374. HERM.*) *σπέρμα* nemo est quin intelligat. Sed quis quemquam *σπέρμα* compellabit illius, cuius e semine fuerit prognatus, nomine non adiecto? Sed etiamsi addito Ἀγαμέμνωνος vel Ἀτρείδου vocabulo Orestes posset subintelligi, vel sic mihi quidem elegantique poeta indignum esse videtur, ut sororem effingat fratrem communis patris semen vocantem. Et in ea quidem re Te video idem mecum sentire, derelinquendas esse hasce editorum subtiliores quam veriores ratiocinationes. Quod e versione, quam fecisti, tragoediae Latina colligo, quum in commentario haud scio an recte alto hunc locum presseris silentio. Quum vero Graeca ita Latinis verbis expressisti: »O, carissime, quam patris domus desideravit, in quo cum lacrymis salutis spem posuimus, virtute fidens domum patris recuperabis” evitasse videris difficultatem, non expediisse. Afferunt editores huiusce illustrandi ergo SOPHOCLES locum ex *Electra* 857:

*πάρεσιν ἐλπίδων ἔτι κοινοτόκων
εὐπατριδᾶς ἀρωγαί.*

Sed et de his ipsis versibus lis adhuc est sub iudice, nec licet incertis incerta sustinere ac tueri, et abest a loco Sophocleo ea difficultas, quam e vocabulo *σπέρμα* nasci mihi vi-

deor demonstrasse. Quid igitur? Emendando redintegrandus est versus, qui, ut vulgo fertur, nullam sanam efficit sententiam. Ubi, collato *Euripidis* loco in *Oreste* vs. 1342:

ἴθ' εἰς ἀγῶνα δεῦρ' ἐγὼ δ' ἠγγήσομαι
σωτηρίας γὰρ τέρμ' ἔχεις ἡμῖν μόνῃ,

nostro loco restauraveris:

δακρυτὸς ἐλπίς τέρματος σωτηρίου,

Electra fratrem, id quod illius et personae et conditioni, in qua versatur, quam maxime est consentaneum, ut deploratam iam spem salutis laeta excipiet. Librarium vero haud inepte coniceres recens lectis et descriptis versibus 204 et 205:

εἰ δὲ χρὴ τυχεῖν σωτηρίας,
σμικροῦ γένοιτ' ἂν σπέριματος μέγας πυθμῆν,

in hosce se irretiri passum esse laqueos. Addo tragoediae, in qua versamur, alterum versum, quem vocabulum a fronte mutilum pessumdedit, vs. 975:

Facinore patrato iam redit in scenam Orestes; ostendit (siquidem Scholiastae fides habenda; de qua re vid. HERM. ad v. 967) foribus apertis Aegisthi et Clytaemnestrae modo occisorum cadavera. Matricida oratione habita, quae secundum quosdam interpretum agitatae mentis speciem refert (in quibus Te nomino BAMBERGERUMQUE), dum alii librario miscenti omnia confundentique turbas crimini dant, quas versuum transpositione componere conantur⁴, iure matrem a sese occisam esse ostendere nititur. Cuius orationis hoc est exordium;

Ἴδεσθε χώρας τὴν διπλῆν τυραννίδα
πατροκτόνους τε δαμάτων πορθήτορας.
Σεμνοὶ μὲν ἦσαν ἐν θρόνοις τόθ' ἡμενοί,
Φίλοι δὲ καὶ νῦν, ὡς ἐπεικάζσαι πάθῃ
πάρεστιν, ὄρκος τ' ἐμμένει πιστώμασιν.

Ab omnibus, quos quidem consulere licuit, ita haec scripta tolerantur. At magnopere offendor versu tertio, σεμνοὶ μὲν

⁴ Cf. praeter MEINEKIUM, qui primus in hanc sententiam incidit, *Zeitschr. f. Alterth.* 1843. p. 183. imprimis FR. THIERSCH, *de locis quibusdam Aeschylī lacunosis aut versuum transpositione sanandis*, pag. 43—60 (*Abhandl. der 1 Cl. d. k. Bayer. Ak. d. Wiss.* V. II).

ἦσαν ἐν θρόνοις τόθ' ἤμενοι, facillimo illo quidem ad intelligendum, sed ea continente, quae ab hoc loco et sententiarum nexu perquam perspicuo sunt quam alienissima. Opponuntur inter se Aegisthus et Clytaemnestra regia dignitate ornati, iidemque eodem ferro trucidati; qui *σεμνοὶ ἦσαν ἐν θρόνῳ τόθ' ἤμενοι* et qui *Φίλοι καὶ νῦν* scil. *εἰσὶν, ταῦτ' ἀπαθόντες*. Agnoscimus oppositionem in vocabulis *πότε* et *νῦν*; eadem appareat necesse est in *σεμνοὶ* et *Φίλοι*. Sensit hoc BAMBERGERUS atque oppositionem esse contendit inter sollemnem dignitatem, quam vivi reges nimiam affectabant, et amicitiam, quam mortui servant. Sed quaenam, quaeso, ista est oppositio? Quo pacto sibi possunt opponi, in quibus nil est, quod oppositioni praebeat ansam? Verba *καὶ νῦν* luculentissimo sunt documento, hoc voluisse poetam, ut eiusdem rei, quam in regnantibus Aegistho et Clytaemnestra licuisset observare, in mortuis quoque vestigia adparuerint; *Φίλοι* erant mortui, et mihi quidem omni dubio videtur esse maius, praesertim collatis duobus, qui statim sequuntur, versibus (978, 979).

*συνώμοσαν μὲν θάνατον ἀθλίῳ πατρὶ
καὶ συνθανεῖσθαι, καὶ τὰδ' εὐδρόκως ἔχει,*

latere sub *σεμνοὶ* alterum vocabulum, quod *coniunctus* vel aliud quid eiusmodi significat, atque id voluisse poetam, eosdem, qui coniunctim regno Agamemnonis morte parato imperassent, iurisiurandi memores, una iam mortem obisse. Tum demum rite respondebunt sibi singula sententiae membra. Nec diu anquirendum rei accommodatum vocabulum, quod ultro se obfert. Scripserat poeta *ξυνοί*, librarius hoc solemni confusione, quod vix peccatum vocare possis, pro suo more exaravit *συνοί* (cf. v. c. PORSON. *ad EUR. Hec.* 115; *Orest.* 1, quamvis probe meminerim, quae de formis *σύν* et *ξύν* accurate disputavit KIEHL, *Aeschylea*, I. p. 78 sqq.), unde proclivi errore, praesertim ob vocabuli *θρόνος* viciniam, *σεμνοὶ* natum est⁵.

⁵) Idem vocabulum *σεμνόν* labem traxisse apud EURIP. *Hel.* v. 609 ostendit COBETUS, *Mnem.* V. 3. p. 239, atque simul erroris aperuit fontem. Legebatur illo loco

*βέβηκεν ἄλοχος σὴ πρὸς αἰθέρος πυχᾶς
ἀρθεῖσ' ἄφαντος, οὐρανῶ δὲ κρύπτεται
λιποῦσα σεμνὸν ἄντρον, οὗ σφ' ἐσώζομεν.*

V. 976. pro πάθῃ scripserim πάθει, ut iam hi excant versus:

Ξυνοὶ μὲν ἦσαν ἐν θρόνοις τοῦ ἡμενοὶ
 Φίλοι δὲ καὶ νῦν, ὡς ἐπεικάζαι πάθει
 πάρεστιν.

Post paucos versus, v. 984, (ὡς ἴδῃ πατὴρ, οὐχ οὐμὸς κτῆ.) vide an non, mutata interpunctione, melius sententiae sit consultum:

Ἐκτείνατ' αὐτὸν καὶ κύκλω παρασταδὸν
 στέγαστρον ἀνδρὸς δείξατ', ὡς ἴδῃ πατὴρ
 οὐχ οὐμὸς, ἀλλ' ὁ πάντ' ἐποπτεύων τάδε
 Ἥλιος, ἀναγνα μητρὸς ἔργα τῆς ἐμῆς.

V. 195 sqq.

εἶθ' εἶχε Φωνῆν εὐφρον' ἀγγέλου δίκην,
 ὅπως δίφροντις οὔσα μὴ κινυσσόμην.
 ἀλλ' εὖ σαφηνῆ τόνδ' ἀποπτύσαι πλόκον,
 εἶπερ γ' ἀπ' ἐχθροῦ κρατὸς ἦν τετμημένος,
 ἢ ξυγγενῆς ὧν εἶχε συμπενθεῖν ἐμοὶ
 ἀγαλλμα τύμβου τοῦδε καὶ τιμὴν πατρὸς.

Librorum lectionem ἀλλ' εὖ σαφηνῆ unum tantum novi editorem, qui defendat, BAMBERGERUM; provocat ille ad meditandum Electrae animum, cogitata concinne eloquendi nullam habentis curam. Cogitatione dicit supplendum esse εἶθε ἦν μοι. Sed quum animo meo informare possim, qui multa graviusque animo ponderans pensitansque una cogitatione nondum absoluta ad alteram festinando transeat, non possum fingere, qui meditabundus nimirum sententiam proferat ab initio statim mutilam. Mihi quidem, ut editorum quam plurimis, vitiosa est Codicum scriptura. Ad quam corrigendam varia a variis sunt excogitata. PORSON. *Adversar.* p. 159. ἀλλ' εὖ σάφ' ἦδη coniecit, ERFURDTIUS *ad Sophoclis Ai.* p. 626. ἀλλ' ἦν σαφηνῆ (atque id amplexus est HERMANNUS), BLOMFIELDIUS ἀλλ' ἦν σαφές μοι, WELLAUERUS, cuius Tibi probata est sententia, ἀλλ' εὖ σάφ' ἦν, DINDORFIUS ἀλλ' ἦ σάφ' ἦν μοι. Novissima KAYSERI

Correxit ille λιποῦσ' ἔρημον ἄντρον. At illius iudicio subiectum velim, an non vario nomine praestet, quod mihi in mentem venit:

λιποῦσ' ἔρεμνόν ἄντρον

Cf. *Eur. Heracl.* 218: Αἶδου τ' ἐρεμνῶν ἐξανήγαγεν μυχῶν | πατέρω σόν.

est coniectura, quam in egregia editionis HERMANNIANAE protulit censura (*gelehrte Anzeigen herausgeg. von Mitgliedern der Kön. Bayer. Akad. d. Wissensch.* 1855. n°. 61—67) ἤνει τόνδ' ἀποπτύσαι πλόκον. In quam coniecturam quum et ipse incidissem, mox vidi veram esse non posse, quum haud facile quemquam ita credam esse locuturum: ἵνα ὁ πλόκαμος (hoc enim sententiae est subiectum) ἤνει, τόνδ' ἀποπτύσαι πλόκον. De reliquis, si sententiae rationem habes, haud ita magnum erit discrimen, quamnam elegeris correctionem, quum eodem omnes redeant. Itaque, quae est simplicissima, eam ad veritatem putandum est proxime accedere. Nec tamen qui Codicum lectioni WELLAUERI inventum, quod proxime ab ea abest, ἀλλ' εὔ σάφ' ἦν ἢ substituerit, omne mihi punctum videtur tulisse. Quid mihi velim, quo fiat manifestius, in sententiae structuram vel οἰκονομίαν, quem vocant, aliquanto accuratius erit indagandum. Etenim Electra, si poeticum sermoni absterseris colorem, haec fere dicit: εἴθε Φωνὴν εἶχεν ὁ πλόκαμος, ἵνα μὴ ἀμφίβολος ἦν τὴν γνώμην, ἀλλ' ἐξῆν μοι σαφῶς ἢ τοῦ πλόκου καταφρονεῖν, εἶπερ κτέ. ἢ . . . Constructio est in aprico: ἵνα μὴ ἡμφεγνόουν, ἀλλ' ἵνα ἐξῆν. Iam sequitur dilemma, cuius prior pars est quam manifestissima ἢ τὸν πλόκον ἀποπτύσαι, Εἶπερ γ' ἀπ' ἐχθροῦ κρατὸς ἦν τετμημένος, sed haereo in posteriore. At memet ipsum hasce mihi peperisse difficultates contendes, WELLAUERI correctionem quippe ut unice veram amplexum. Est, concedo, aliquantum discriminis, utrum ἢ σάφ' ἦν μοι leges an εὔ σάφ' ἦν ἢ. Qui enim WELLAUERUM sequuntur, iis, quod ipsum WELLAUERUM non observasse vix miraberis, etiam altera dilemmatis pars a σάφ' ἦν pendeat necesse est, dum in constituenda posteriore sententiae parte iis licet versari, qui stant a DINDORFII partibus. De his igitur primum dispiciamus. Secundum eos opponuntur sibi ἵνα σάφ' ἦν μοι ἀποπτύσαι πλόκον, εἶπερ ἀπ' ἐχθροῦ κρατὸς ἦν τετμημένος et ἵνα ξυγγενῆς ᾦν εἶχε συμπενεθεῖν ἐμοί. At pluribus offendor. Quid sit πλόκος ἀπ' ἐχθροῦ κρατὸς τετμημένος intelligo, quid πλόκος ξυγγενῆς vix capio; at πλόκον ξυγγενῆ cogitari posse συμπενεθεῖν, hoc mihi quidem ultra poeticae licentiae fines longe videtur progredi. Accedit, quod urget HERMANNUS, ἐχω συμπενεθεῖν non dici posse nisi ab eo,

qui materiam habeat lugendi: ubi de facultate sit sermo, necessario δύνασθαι esse dicendum; quod recte ille an secus stauerit, egomet decernere non audeo. Sed haec omnia immerito me reprehendere et arguere statuamus. Fac Graeca in Latinum sermonem vertamus: »Utinam voce ille esset praeditus, ne dubia haererem, sed ut aut certo sciens abiicere possem cincinnum ut ab inimico capite abscissum, aut ille, cognatus cum esset, mecum lugere posset.» Adeone hebes sum, adeone torpeo ad pulcri sensum Veneresque poeticas, ut mihi soli dura videatur illa constructio, qua subiectum in altera sententia evadit, quod modo in altera fuerat obiectum, ut mihi soli subinepte cogitare videatur, qui Electram sperantem faciat, cincinnum una secum patris mortem esse deploraturum? Nec EURIPIDES, credo, qui in *Oreste* v. 524—546 hanc AESCHYLII de cincinno fratris indice inventionem frigidis ratiocinationibus perstringit et demonstrare conatur esse ineptam, tam bellam occasionem sibi eripi passus esset exagitandi poetae, cuius laudi invidebat.

Quod de DINDORFIANA horum versuum recensione, idem multo magis etiam de iis valet, qui ἀλλ' εὔ σάφ' ἦν ἢ legendo dilemmatis initium statuunt post ἦν. Quae quum ita sint, dum meliora me quis docuerit, eam poetae fuisse sententiam contendo: »Utinam voce praeditus esset cincinnus, ne dubia haererem, sed bene mihi constaret, aut abiicere cincinnum, si ab inimico capite est abscissum, *aut laeto animo ut bonum omen exciperem*, si cognatus eum dicavit, mecum lugens patris mortem.» Unum inter v. 198 et 199 excidisse versum statuo, cuius sententiam indicavi, et reliqua ita fere constituenda esse existimo:

ἀλλ' εὔ σάφ' ἦν ἢ τόνδ' ἀποπτύσαι πλόκον,
εἶπερ γ' ἀπ' ἐχθροῦ κρατὸς ἦν τετμημένος
ἦ * * * * *
εἰ ξυγγενὴς ἦνεγκε συμπευθῶν ἐμοί.

Erunt fortasse, qui vel mea loci interpretandi recepta ratione vulgatam ξυγγενὴς ὦν εἶχε servari posse contendant. Sed et constructio, quae oreretur, mihi quidem insueta, ne quid gravius dicam, est visa, et vocabulum φέρειν de sacris proprium est ac solemne.

Quum multi supersint loci, de quibus Tecum agere erat in propositis, in praesenti finem scribendi facere coactus, eos mihi reservabo, quos altera, quam ad Te dare in animo est, epistola tractabo.

Eligam tunc potissimum e choricis systematis locos quosdam, in quibus cum metro sententia periit.

Scribebam *Briellae*, mense *Octobris* MDCCLVI.

HEMSTERHUSII EMENDATIO INEDITA.

Apud Strabonem XVII. p. 799. Casaub. legitur: ἄλλη δ' ἐστὶ Ταπόσιρις ἐπέκεινα τῆς πόλεως ἰκανῶς. αὐτῆς δὲ πλησίον πετρῶδες ἐπὶ τῇ θαλάττῃ χωρίον καὶ αὐτὸ δεχόμενον πολλοὺς τοὺς κωμάζοντας ἄπασαν ὥραν ἔτους, dixerat enim paulo ante: Ταπόσιρις οὐκ ἐπὶ θαλάττῃ πανήγυριν δεχομένη μεγάλην. In hoc loco κωμάζοντας absurda scriptura est, quae nulla librorum auctoritate nititur et de infelici coniectura invecta est. Codices omnes exhibent τοὺς ἀκμάζοντας, quod quum nemo ferre posset omnes Tyrwhitti correctiunculam arripuerunt, quam Coraës et Kramerus receperunt in textum. Strabonis manum unus perspexit Hemsterhusius, qui in suo libro (quem servat Bibliotheca Lugduno-Batava) minutissima scriptura supra tertiam litteram participiī ἀκμάζοντας posuit τ. Optime: ἀκτάζοντας docet esse legendum, quod verbum unice accommodatum esse rei quam Strabo commemorat manifestum est. Hesychius v. Ἀκτῆ. — οἶδε δὲ καὶ ἄλλο τι ἢ συνήθεια καλούμενον Ἀκτῆν, ἀπὸ τοῦ συμβαίνοντος οἶμαι τοῖς πλωιζομένοις λαβοῦσα. ἐκεῖνοί τε γὰρ εἰς τοὺς τοιοῦτους τῶν τόπων ἀποβάντες ἐσιῶνται, αὕτη τε τοὺς ἐπ' εὐωχίαις ἀφωρισμένους τόπους ἀκτὰς καλεῖ κἄν τύχῃσι μὴ παραθαλάσσιοι ὄντες. Itaque τὸ ἐπ' ἀκτῆς εὐωχεῖσθαι καὶ θυμηδεῖν appellabant ἀκτάζειν. Plutarch. Symposiac. IV. 4. § 8. τί δ' οἱ πολλοὶ βούλονται πρὸς θεῶν, ὅταν ἠδέως γενέσθαι παρακαλοῦντες ἀλλήλους λέγωσι· σήμερον ἀκτάσωμεν; οὐχὶ τὸ παρ' ἀκτῆ δεῖπνον ἦδισον ἀποφαίνουσιν; Cui non nota Verris acta? Ptolemaeus Philadelphus quum aeger decumberet ex alta